

1509 rant, Gallos loco se movisse, atque iter secundum flumen facere, cum equitibus levissimis quatercentis sub lucem castris est profectus, ut quid hostes agerent, cognosceret, & si citra flumen essent, moraretur dum reliquus exercitus accederet. Caligo vero ita densa eo mane campis incubuit, ut Livianus, qui citatus ferebatur, temere in Gallorum incidenter agmen, eosque tum demum & Gallos esse, & flumen transisse cognosceret: sed illos laceſſere tantis in tenebris non ausus, propere ad Revolutanos, quo regem iturum suspicabatur, misit, qui diceret, si ad se hostes accederent, parumper sustinerent, se se omni cum exercitu confestimi affuturum, auxiliumque eis allaturum. His datis mandatis ad imperatorem recucurrit, motisque statim castris, aciebusque dispositis, ad Revolutanos, si fieri posset, tuendos exercitui dux fuit. Sed ea in re, quod moram interposuerat, nulli usui cum fuisset (Galli enim confecto interim itinere, tormentisque ad muros positis, parvo temporis spatio ditione municipium ceperant) nostri castra quingenitos prope hostes passus suo loco posuerunt: ibique diem alterum uterque se exercitus continuit.

Postero die autem, qui dies fuit pridie nonas majas, rex, ut Pandinum municipium item caperet, bene mane secundum flumen acie disposita iter facere cœpit, ea spe, ut si Cremonæ appropinquare, ad oppidique muros se ostendere cum exercitu posset, nonnihil consideret se se oppidum, civibus tradentibus, quorum voluntates antea cognoverat, in suam potestatem redacturum. qua in re sua illum spes atque opinio fefelleret, si Veneti se continuissent, neque prælium commisissent: erant enim loco editiore, ac fere medio regionum earum: quo ex loco omnibus eorum oppidis, ne quid aggredi contra reipublicæ voluntatem auderent, una tanti exercitus fama facile prospiciebatur, quamcunque se in partem rex incitavisset: quem si, ut facillimum factu erat, paucos modo dies elusissent, propterea quod laborare commeatu cœperat, qui ad ejus exercitum, Abdua flumine interposito, tum Epirotis equitibus omnia diripientibus, atque in castra reipublicæ trahentibus: magna difficultate affe-